



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Absaloni Lvnden. Archiepiscopo, ejusque successoribus canonice
substituendis in perpetuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

246 Epistolarum Innocentij III.

sia tua debitis perfolvendis, de ipsis Ecclesiae possessionibus minus utilibus, cum de mobilibus debita nequeant expediti, secundum instituta canonica, de consilio tuorum vendere valeas Clericorum, auctoritate tibi praesentium indulgemus. Datum Laterani Idibus Novembris.

*DECANO ET CAPITVLO
beati Hilarij Pictaven.*

*Epist. 418.
Ut Petro nepo-
ci Aimerici de
Partiniaco
præbendam
conferant.
Vide supra epist.
39.*

Si eam quæ apud nos plenitudo reficit potestatis, qua non extollimur in superbiam, sed ad providentiam excitamus, considerassetis attente, & qua facta nostra prosequi perfectione velimus, voluissestis subtilius intueri, nunquam cor vestrum in tantæ præsumptionis audaciam ascendisset, ut, sicut testimonio multorum accepimus, tam temerè nostris præsumeretis institutionibus obviare. Recolimus siquidem quod defuncto quondam in Urbe magistro Americo de Partiniaco, erga dilectum filium Petrum nepotem ipsius non potuerimus misericordia non moveri, quem videntes omni consilio & auxilio destitutum, ad provisionem ejus suimus vehementius excitati; sive ad desolationis suæ remedium, præbendam quam idem avunculus ejus in Ecclesia vestra olim habuerat, sicut de plenitudine potestatis nobis concessæ licebat, ei misericorditer duximus conferendam, de ipsa per annum propriis manibus investientes eundem, cùmque ipsi auctoritate apostolica confirmantes, ne investitura nostra sive donatio sperato posset effectu quorūlibet temeritate privari. Vnde cùm vobis præcepissimus districte ut ipsum ob sedis apostolicae reverentiam, ejusque probitatis obtentum, in vestrum fratrem & Canonicum admittentes, jamdictæ præbendæ beneficium, sicut illam avunculus ipsius olim noscitur habuisse, contradictione, oc. & ap. cessantibus, sine difficultate qualibet assignare minimè differretis, vos id noluistis exequi, ut decebat, licet venerabilis frater noster Burdegalen. Archiepiscopus, sicut ex literis ejus accepimus, bona memoriae A. Pictaven. Episcopi volens supplere defectum, qui super hoc à nobis datus fuerat executor, nostrumque tanquam providus & discretus propositum adjuvare, vos ad id cum suis literis montuisset. Nos igitur, licet ex hoc, nec immerito, contra vos commotionis materiam habeamus, vobiscum in spiritu lenitatis & mansuetudinis adhuc agere cupientes, per iterata vobis scripta mandamus, & in obedientiæ virtute districte præcipimus, quatenus prout in mandatis nostris, ut dictum est, recepistis, dilationis, occasionis, exceptionis, & appellationis summo diffugio, non obstante etiam si interim propter hoc nuntium ad sedem apostolicam transmisisti, præfato P. dictum beneficium cum fructibus post præsentationem literarum nostrarum perceptis, tam libenter, quam liberaliter, absque difficultate qualibet assignetis. Alioquin noveritis nos venerabilibus fratribus nostris Biruricen. & Burdegalen. Archiepiscopis præcipiendo mandasse ut si infra viginti dies post susceptiōnem præsentium mandatum nostrum non duxeritis effectui mancipandum, illos quos contumaces invenerint & rebelles, sublato cujuslibet occasione & appellationis obstaculo excommunicatiois vinculo innodantes, Ecclesiam ipsam subjiciant interdicto. Quod si nec sic infra duos menses poteritis emolliri, iidem nullam sententiarum illarum aliquatenus relaxari permittant; sed tamdiu singulis diebus dominicis & festis, pulsatis campanis, & extinctis candelis, prædictam excommunicationis sententiam per totam provinciam Burdegalen. publicè faciant innovari, donec prædictus P. plenam & pacificam ipsius præbenda possessionem habuerit, & pro tanto satisfacturi excessu nostro vos duxeritis conspectu præsentandos; rebellēs nihilominus ab omni ecclesiastico beneficio suspendentes, ut saltē pœna coercent quos obedientia non emollit. Si quid etiam post receptionem literarum in Ecclesia vestra ordinatum fuerit vel statutum, per quod mandatum nostrum possit eludi, aut etiam impediri, illud irritum decernimus & inane. Datum Laterani II. Idus Novembris.

*ABSALONI LVNDENI.
Archiepiscopo, ejusque successoribus
canonicè substituendis in perpetuum.*

In eminenti apostolicae sedis specula disponente Domino constituti, salubriter injuncti nobis officij exequimur actionem, si ea que per antecessores nostros ad salutem fidelium instituta noscuntur, consensu nostro firmamus, & ne cuiuslibet temeritatis quatiantur incursu,

*Epist. 419.
De primatu
Archiepiscopi
Lundeniæ.*

exactam diligentiam adhibemus. Cum enim Ecclesiæ suæ promiserit Dominus, dicens, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram*, illi bene videntur patribus successisse, atque utiliter impositum gere-re principatum, qui non potestate la-tantur, sed ad salutem eorum qui gu-bernandi sunt, cum timore ac tremore creditæ potestatis auctoritatem exercet, studentes semper antecessoribus suis in bonis actibus conformari, & quæ lauda-biliter ab eis facta sunt, & servare in se-metipis, & aliis nihilominus servanda monstrarre. Hac itaque nos suscepit of-ficij consideratione inducti, & felicis memorij Adriani Papæ antecessoris no-stri vestigiis inhærentes, quod ipse de confirmatione regni Suetiæ cum fra-trum suorum consilio & voluntate con-stituit, nos etiam firmum & illibatum perpetuis temporibus decernimus per-manere. Constituit enim quod Lunden-sis Archiepiscopus, qui pro tempore fue-rit, super regnum illud primatum sem-per obtineat, & ordine quo subsequitur, debeat ei præfesse: qui tanto frequen-tius & utilius illi terre, qua ad salutem fidelium pertinent, ministrabit, quanto necessitatem eorum atque defectum è vicino pleniùs poterit intueri. Pallium enim antecessori tuo tribuit, ut Archi-episcopum in regno Suetiæ quām citius opportunitas occurreret ordinaret, & Pallium nostra ei vice conferret, eo quidem ordine observato, ut vide-liceris qui per Lunden. Archiepisco-pum Metropolitanus ibi fuerit institu-tus, gratiam consecrationis per manum Archiepiscopi Lunden. adeptus, ipsi & Lunden. Ecclesiæ, salva fidelitate Ro-manæ Ecclesiæ, fidelitatem & obedien-tiam juramento promittat. Pallium sanè taliter consequetur. Nuncius Lunden. Ecclesiæ siquidem cum nuncio illius Ec-clesiæ pro imperando Pallio ad Eccle-siam Romanam accedat; & cùm illud à Romano Pontifice impetraverit, ad Lun-den. Ecclesiam reportabunt. Lunden. au-tem Archiepiscopus illud accipiens, Ar-chiepiscopo Suetiæ tribuet, & fidelita-tem & obedientiam Rom. Ecclesiæ jure-jurando promittet. Metropolitano ve-rò ibi ad honorem Dei & decorum do-mus suæ salutemque fidelium constitu-to Lundenensis Archiepiscopus & digni-tate primatus in perpetuum præsidebit,

& ipse ei reverentiam & obedientiam tanquam suo primati humiliter exhibe-re curabit. Quod utique in bona me-moria Stephano quondam V psalensi, qui à prædecessore tuo piæ recordationis Echillo Archiepiscopo tempore felicis memoriae Alexandri Papæ, eo præsen-te, Senonis ratione jamdictæ institutio-nis gratiam consecrationis accepit, & sub antecessoribus nostris bona memo-riæ Lucio & Clemente secundum præ-scriptum ordinem in Io. & Petro supra-dictæ Ecclesiæ Episcopis, quos tua fra-ternitas in Archiepiscopos consecravit, & Pallium vice ipsorum antecessorum nostrorum contulit, dignoscitur adim-pletum. Quoniam igitur hoc, sicut à præ-nominato Adriano antecessore nostro statutum est, ita sub te & antecessore tuo effectum accepit, nos memorati Adriani & felicis recordationis Alexandri, Lu-cij, Urbani, Clementis, & Celestini præ-decessorum nostrorum Rom. Pontifi-cum vestigiis in tam laudabili opere inhærentes, nostro & fratrum nostrorum favore prosequimur, & firmum & illiba-tum perpetuis temporibus decernimus permanere. Nulli ergo &c. hanc pagi-nam nostræ confirmationis &c. Salva apostolica sedis auctoritate. Si qua igi-tur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Can-cellarij vicem agentis, IX. Kalend. De-cembrii, Indictione II. Incarnationis Do-minicæ anno MCXCVIII. Pontifica-tus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

*PRÆPOSITO DE SERAND.
& universis Ecclesiarum Prælatis in
Vtlandia constitutis.*

Nostris fuit auribus intimatum, quod cùm propter inundationem aquarum in terra vestra impedimentis fossatorum obstantibus sit accessus diffi-cilis & regressus, ab eo tempore quo ibi-dem fuit fidei novella plantatio est sta-tutum, & usque ad hæc tempora obser-vatum, ut Præpositus, qui ibidem, quan-tum licet, vices gerit Episcopi, tempori-bus illis quibus facilior patet ingressus, apud unamquamque Ecclesiam propter magnitudinem parochiæ & universita-tem delinquentium quatuor diebus, si voluerit, maneat, synodus ibi celebra-turus indictam. Vbi si quis accusatus fue-rit, & reatum suum confessus in publico,

*Epist. 410.
De gravibus
quibaldam ab-
usibus maturè
corrigendis.*